



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCLI. Rapta sterilis repudiatae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



<sup>1</sup>lex injuriarum putavit, ut ei qui commisisset tale delictum, omne jus poenæ auferret; quærendum de eo quoque est quod etiam forte factum est ut prior ageres, non quia atrocius erat quod querebaris. Quid porro? hac ipsa sorte non hoc quæsitum est, uter prior ageret? Jam hoc ergo, de quo contendimus, constitutum est. Illa enim sorte duo judicia ordinata sunt: & tum, cum accusares, eras reus & proximo loco reus. <sup>2</sup> Hæc ad jus, illa ad æquitatem: quid adeo justum quam te damnari, si injuriam tum fecisti? non enim ignominioso fecisti, & fortasse per te stetit, ut injuriam hic quoque faceret: alioqui tu si quam fiduciam haberes innocentiaæ tuæ, nonne his ipsis quibus excludis illum, confideres? quid times? accusabit te, neminem postea accusaturus: cæcidit te: fecit injuriam: confitebimur: probabimus tamen istud jure accidisse. Quanta diffidentia in te causæ est, qui post ista trepidas? & in nobis quanta fiducia, qui post hanc infelicitatem, post hanc fortunam confidimus dignos nos apud judices futuros, qui vindicemur? Iniquissimum alioqui est tantum fortunæ sortis illius licuisse, ut hoc videatur quæsitum, uter ignominiosus esset.

## C C L I.

*Rapta sterilis repudiata.*

INTRA QUINQUENNIIUM NON PARIENTEM REPUDIARE LICEAT. INIUSTI REPUDIUM SIT ACTIO. Quidam uxorem, quam ex raptu habere cœperat secundum optionem, intra quinquennium non parientem dimisit: agit illa iniusti repudii.

## DECLAMATIO.

**I**Niusti repudii accuso. Neminem adeo fore alienum à bonis moribus credo, qui dubitet parum istud injuste factum esse, quod quæ summum dederat beneficium vitæ, ne id

<sup>1</sup> Lex injuriarum putavit.] Scribo: Nam si tam gravem rem & tam intolerabilem lex injuriam putavit. Gron.

<sup>2</sup> Hæc ad jus, illa ad æquitatem.] Hujusmodi plerisque in locis Sermonis vi-

dentur esse, non declamationis. Qua in re tamen vet. exempl. bona fide secuti sumus. Sequitur, *Quid adeo justum est.* sic enim lego. *Pithæus.*



ne id quidem obtinuit apud maritum, quod præstitit. Itaque <sup>1</sup>calumnia resistit & impugnat justum esse repudium, quod maritus jure aliquo fecerit. Ego porro non hanc interpretationem istius verbi video, ut jura spectanda sint, sed illud aliquando, uti justitia spectetur. Nam illud injustum repudium est, quod justitiæ contrarium est, veruntamen si ad illa revocemur jura, nihil tamen ad hanc pertinebit. Istam enim legem & hoc beneficium habeant fortasse ii qui nuptias ex æquo fecerunt, qui tradentibus parentibus, ad eos vero, ad quos necessitas pertinet nuptiarum, nihil ista lex. Non magis enim repudiare licet, quam non nubere liceret. Duas enim pœnas adversus raptos constituisse lex videtur, alteram mortis, alteram nuptiarum: leviolem hanc, & beneficio propiorem: & tamen illam non sine necessitate. Quod si lege non defenderis, profecto injustum divortium est. Sed fingamus te lege defendi: reliqua hæc sit quæstio, an facere debueris. Beneficium te accepisse summum manifestum est: vitam tibi dedit læsa, dedit vitam juste irata, dedit vitam perituro per supplicia, per dedecus. Pro his nihil non præstari oporteret <sup>2</sup>uxori? Quid aliud exegit quam ut uxor esset? At enim non pariebat intra quinquennium. Si tibi eam parentes collocassent, aut ipsa nubendi tempus elegisset, dicerem, non semper fœcunditas properat? aliquando dilata veluti pleniores fructus reddit. Hæc vero & rapta est antequam destinaretur, antequam idonea nuptiis videretur, & habuit maritum in amores præcipitem, in cupiditates pronum: & cum invisa fuerit marito, potest videri quod non peperit, pudicitia, non sterilitate fecisse. Tu porro quicquid licet, statim putas esse faciendum: quicquid asperimum leges, quicquid crudelissimum habent jura, occupas: voluisses animum talem fuisse puellæ illo tempore quo ad genua jacebas? Hæc vero non tantum marito, sed

etiam

<sup>1</sup> Calumnia resistit & impugnat.] Scribe: & pugnat. Gronovius.

<sup>2</sup> Uxori? Quid.] Uxori. quid. Pith.



etiam reip. reddere plenam potest rationem. Nam etiam si non habet filium, adservavit tamen juvenem, tamen hominem, tamen civem.

## CCLII.

*Parasitus raptor candidatæ.*

INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. RAPTOR X. MILLIA SOLVAT, Pauperis & divitis filia sacerdotium petebant. Rumor erat, futurum ut pauperis filia sacerdos crearetur. rapuit eam parasitus divitis. X. millia accepta à divite solvit è lege: accusat pauper divitem Inscripti maleficii.

## S E R M O.

*Pleraque controversiæ sub hac lege positi duas questiones habent, ex ipsis earum verbis tractas: an inscriptum sit quod objicitur, & an maleficium sit quod frequenter dixi, non semper utramque, quoniam fere ubi de inscripto constat, quæri solet de maleficio: si de maleficio convenit, in controversiam venit, an inscriptum sit. In hac controversia tertia quoque adjiciatur quæstio necesse est, quæ generalibus constat duabus, An hujus maleficium sit, sed pro hac media eximitur: non enim quæri potest an sit maleficium, neque enim in rerum naturam cadit, ut quisquam mortalium id maleficium neget, cujus pœnam solutam esse contendat: quæremus ergo an inscriptum sit, & an hujus maleficium sit.*

## DECLAMATIO.

**I**Nscripti maleficii agitur: cum maximam partem defensionis adversarius in hoc ducat, ut inscriptum esse maleficium neget, poterat brevi conditione decidi, ut diceret qua alia lege cum alio consistere potuerim: nunc, callido & vetere ac diu jam excogitato consilio, legem non ad reum refert, sed ad crimen, & tanquam ego nihil aliud, quam de amissa virginitate filix querar, recitat legem, quæ contra raptos scripta est. Ego autem, etiam si cum ipso agerem, qui rapuerat, poteram tamen non contentus

X. milli-

1 Cum alio consistere.] Lege, cum illo. Gronovius.